

abitum est<sup>1</sup>. Ergo non convenit Deo filios adoptare.

3. Præterea, ad hoc aliquis adoptatur, ut in hæreditate adoptantis succedat. Sed in hæreditate Dei non videtur aliquis posse succedere, quia ipse nunquam decedet. Ergo Deo non convenit adoptare.

Sed contra est quod dicitur Ephes. 1: Prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei. Sed prædestinatio Dei non est irrita. Ergo Deus aliquos sibi adoptat in filios.

Respondeo dicendum, quod aliquis homo adoptat alium sibi in filium, in quantum ex sua bonitate admittit eum ad participationem suæ hæreditatis. Deus autem est infinitæ bonitatis, ex qua contingit quod ad participationem honorum suorum suas creaturas admittit, et præcipue rationales creaturas; quæ in quantum sunt ad imaginem Dei factæ, sunt capaces beatitudinis divinæ. Quæ quidem consistit in fruitione Dei, per quam etiam ipse Deus beatus est, et per se ipsum dives, in quantum, scilicet, se ipso fruitur. Hoc autem dicitur hæreditas alicujus, ex quo ipse est dives. Et ideo, in quantum Deus ex sua bonitate admittit homines ad beatitudinis hæreditatem, dicitur eos adoptare. Hoc autem plus habet adoptatio divina, quam humana, quia Deus hominem quem adoptat, idoneum facit per gratiæ munus ad hæreditatem cælestem percipiendam. Homo autem non facit idoneum eum quem adoptat, sed potius eum jam idoneum eligit adoptando.

Ad primum ergo dicendum, quod homo in sua natura consideratus, non est extraneus a Deo, quantum ad bona naturalia quæ recipit: est tamen extraneus quantum ad bona gratiæ et gloriæ, et secundum hoc adoptatur.

Ad secundum dicendum, quod hominis est operari ad supplendam suam indigentiam; non autem Dei, cui convenit operari ad communicandam suæ perfectionis abundantiam. Et ideo, sicut per actum creationis communicatur bonitas divina omnibus creaturis, secundum quamdam similitudinem, ita per actum adoptionis communicatur similitudo naturalis filiationis hominibus, secundum illud Rom. 8: Quos præscivit conformes fieri imaginis Filii sui.

Ad tertium dicendum, quod bona spiritualia possunt simul a pluribus possideri, non autem bona corporalia. Et ideo hæreditatem corporalem nullus potest percipere, nisi succedens decedenti; hæreditatem autem spiritualem si-

<sup>1</sup> 1 p., q. 33, a. 3.

mul omnes ex integro accipiunt sine detrimento Patris semper viventis. Quamvis posset dici, quod Deus decedit secundum quod est in nobis per fidem, et incipiet in nobis esse per speciem, sicut glossa<sup>1</sup> dicit, Rom. 8, super illud: Si filii, et hæredes.

#### COMMENTARIUS.

1. Adoptionis natura, et conditiones.—Adoptionis nomen, ut D. Thomas hic insinuat, et clarius dixit in 3, dist. 10, q. 2, a. 1, q. 1, et Durand. ibi, q. 2, ab humanis ad divina translatum est; quia, licet res hoc nomine significata in adoptione divina perfectiori et excellentiori modo inveniatur, tamen locutio ipsa prius in humana adoptione usurpata est. Potest autem adoptio humana ita describi, ex D. Thoma hic, ut sit gratuita assumptio, seu acceptatio ad hæreditatem, personæ extraneæ, seu ex vi suæ originis non habentis jus ad ipsam. Unde variæ conditiones ad hanc adoptionem requisitæ assignari solent a jurisperitis. Prima est, ut persona, quæ adoptatur, extranea sit, id est, non habens a natura illum modum juris, seu conditionis ad quam adoptatur; si enim adoptatur in filium, necesse est ut non sit filius naturalis; vel, si adoptatur in nepotem, ut illo gradu careat. Interdum vero potest nepos adoptari in filium, et tunc quodammodo dicitur non esse persona extranea quæ adoptatur, ut in § Sed hodie, Instituta de adoptionibus; formaliter tamen in sensu dicto semper est persona extranea, quæ adoptatur, id est, carens gradu conjunctionis, ad quem adoptatur, quia filiatio adoptiva naturali opponitur, ut constat ex lege 1, ff. de Adoptionibus.

2. Secunda conditio est, ut jus filii seu assumptio ad hæreditatem gratis fiat, nam, si detur titulo oneroso, non erit adoptio, sed venditio, vel alius similis contractus. Et has duas conditiones posuit Concilium Francofordiense, col. 4, ubi sic inquit: *Adoptivus non dicitur, nisi qui est alienus, et adoptio non datur ex debito, sed ex indulgentia.*

3. Tertiâ conditio est, ut is, qui adoptatur, consentiat et velit adoptari, unde et quædam adoptionis species, *adrogatio* dicitur, quia is, qui adoptat, interrogatur an velit assumere alium in filium, et is, qui adoptatur, an id fieri patiatur, ut habetur in lege 2, ff. de Adoptionibus; dicitur autem hæc *adrogatio*,

<sup>1</sup> Glos. ordin., ibid.

quando is, qui adoptatur, est sui juris. Nam si sit sub patria potestate, tunc retinet nomen adoptionis, et requirit consensum utriusque, scilicet adoptandi, et ejus sub cujus potestate est, ut colligitur ex lege, in Adoptionibus, ff. eodem tit. Quod si nondum ratione utatur adoptandus, sufficiet consensus parentis vel tutoris in cujus potestate est, ex lege Eliam infantem, ff. eodem, et lege Impuberem, C. eodem tit. Et ratio hujus conditionis est, quia hæc adoptio est veluti quidam humanus contractus, et ideo oportet ut voluntarius sit. Aliæ conditiones, quæ in humana adoptione interveniunt, accidentariæ sunt ad rationem adoptionis, ut circa solutiones argumentorum commodius explicabimus.

4. Ex hac ergo communi ratione seu definitione adoptionis recte colligit D. Thomas, adoptare aliquos sibi in filios, recte Deo attribui, quia ex bonitate sua aliquas creaturas ad participationem suæ æternæ beatitudinis assumit; hæc enim supernaturalis beatitudo merito *hæreditas Dei* dicitur, quia, sicut in hominibus divitiæ alicujus dicuntur hæreditas ejus, ita beatitudo, qua Deus dives est, dici potest hæreditas ipsius. Respectu autem hujus hæreditatis persona creata extranea reputatur, quia ex vi suæ naturæ et originis nullum jus ad illam habet, quia nullo modo est naturæ debita. Ad hanc etiam hæreditatem nullus, qui ratione uti possit, assumitur, nisi eo consentiente et volente; omnium enim adultorum adoptio, per propriam eorum dispositionem et consensum fit; in infantibus vero Deus, qui eorum est auctor et pater, eorum consensum supplet, vel certe per Ecclesiam consentiunt, vel per caput suum, qui est Christus. Merito ergo gratuita acceptatio, qua Deus admittit personam creatam ad hanc hæreditatem, adoptio vocatur; in illa enim perfecte inveniuntur tres conditiones supra positæ, ut ex dictis satis manifestum est. Unde etiam intelligitur, hanc divinam adoptionem non metaphoricè tantum (ut quidam existimarunt), sed vere ac proprie adoptionem esse; ita enim Scriptura loquitur ad Rom. 8, ad Galat. 4, et ad Ephes. 1, et potest cum proprietate intelligi. Et ratio facta id ostendit, quia propriæ et quasi essentielles conditiones adoptionis in hac divina inveniuntur, et non nullæ aliæ, in quibus differt adoptio divina ab humana, non pertinent ad veritatem et proprietatem adoptionis ut sic, sed constituunt fortasse diversas species adoptionis, inter quas perfectior est divina quam humana,

ut jam explicabo. Nec D. Thom. aut Durand., in 3, dist. 10. contrarium docent; illi enim nunquam dixerunt, adoptionem divinam tantum metaphoricè esse adoptionem, ut quidam illis attribuunt; sed dixerunt (ut in principio notavimus) nomen adoptionis translatum esse ab humanis ad divina; intelligi autem debet translatum non per metaphoram, sed propter similitudinem, et univocam convenientiam.

5. *Adoptio quid sit.*—Unde ulterius colligitur, hanc Dei adoptionem nihil aliud esse quam ipsamet rationalis creaturæ justificationem, ut docet Augustinus, epist. 120, c. 4, et lib. 3 contra Faust., c. 3; est enim justificatio et voluntaria regeneratio in spem vivam, ut sumitur ex 1 Petr. 1, Jacob. 1, et ad Tit. 3; ideo, Joan. 1, justificati dicuntur, *nati ex Deo*, et omnibus dicitur *data potestas filios Dei fieri*, nimirum per fidem vivam; sic enim ait Joan.: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus*, ita scilicet, ut consequantur justificationem. Unde, ad Rom. 8, ait Paulus: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum*; et ad Ephes. 1: *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum*, quam adoptionem explicans, subdit: *Gratificavit nos in dilecto Filio suo*. Et ratio est, quia homo justificatus habet jus ad divinam hæreditatem; est ergo filius, non naturalis; ergo adoptivus, quam adoptionem in ipsa justificatione suscipit.

6. *Differentia inter adoptionem divinam et humanam.*—Et hinc intelligitur prima differentia, quam D. Thomas hic posuit inter divinam adoptionem et humanam: nam humana fit per solam extrinsecam acceptationem, et per eam non confertur aliquod esse internum, in quo fundetur jus vel proportio ad hæreditatem; at vero in divina adoptione filius accipit inhærentem justitiam, et gratiam, per quam fit particeps divinæ naturæ, 1 Petr. 3, et ideo Joan., 1 Canon., c. 3, inquit: *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur, et simus*. Et hinc sequitur secunda differentia, quia adoptio humana formaliter fit per acceptationem, qua confertur jus ad hæreditatem, quia ante hoc jus nullum esse communicatur ei qui adoptatur, neque aliquod aliud bonum proprium filii. At vero adoptio divina formaliter non fit per extrinsecam acceptationem ad gloriam, sed per internam infusionem illius doni, ratione cujus illa acceptatio debita est. Imo, etiam si præter quas perfectior est divina quam humana,

in illo dono esse divinum, quod formaliter confert jus ad gloriam, quod in eo fundatur, non per hoc jus, sed per gratiam ut dat illud esse, efficitur filii quoad proprium ejus fundamentum et quoad substantiam filii, ut sic dicam, quæ consistit in hoc, quod quis habet a patre esse illi simile; quod in hac filiatione datur per gratiam, quatenus est divinitas quædam per participationem. Atque hinc colligi potest tertia differentia, quia humana adoptio nullam habet rationem generationis physicae ac realis, quia fit per solam extrinsecam acceptationem; at divina adoptio quamdam rationem generationis et nativitatis participat, ut ex Sacrae scripturae testimoniis paulo ante citatis constat, quia in ea confertur re ipsa intrinsecum quoddam esse, quod tamen, quia non est ipsum esse naturale Dei, non facit filios Dei naturales; tamen, quia est per participationem gratuitam divinae naturæ, ad quam consequitur jus ad hæreditatem, facit filios adoptivos. Ex his denique oritur quartum discrimen, quia ex adoptione humana non resultat relatio realis, sed rationis tantum, quia in sola extrinseca denominatione fundatur; ex adoptione autem divina resultat relatio filiationis realis fundata in reali et intrinseca justificatione, quæ est vera generatio, in similitudinem divinae naturæ, imperfectam quidem et accidentalem, realem tamen. Quæ duæ differentia optime ostendunt, hanc adoptionem esse perfectioris ordinis, quamvis propriam rationem adoptionis non transcendat, ut latius, disputat. seq., sect. 4, dicetur.

7. In solutionibus argumentorum ponit D. Thomas alias tres differentias inter has adoptiones. Prima est in solutione ad primum, quia in adoptione humana, persona, quæ adoptatur, non procedit in suo esse reali ab adoptante; at vero in divina, necesse est ut saltem per creationem persona ipsa, quæ adoptatur, a Deo procedat et pendeat. Quæ differentia accidentaria est ad rationem adoptionis; per se enim et formaliter satis est quod ratione creationis non habeat homo jus ad supernaturalem hæreditatem, ad quam postea adoptatur; hac enim ratione respectu illius censetur persona extranea, sicut nepos aliquo modo procedit ab avo saltem per accedens et mediate; tamen, quia ratione hujus processionis non habet proprium jus filii, potest ad illud adoptari.

8. Secunda habetur in solutione ad secundum, quia inter homines adoptio introducta

est ex defectu vel indigentia naturalis filii; at vero divina adoptio, non propter indigentiam, sed ex infinita perfectione et bonitate introducta est, ut similitudo filii naturalis filiis adoptivis communicetur, et in hunc modum explicat D. Thomas illud ad Roman. 8: *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*; de quo testimonio plura a nobis in superioribus dicta sunt.

9. Hic vero annotare libet quamdam conditionem quam aliqui ad adoptionem divinam requirunt, nimirum quod in natura divina sit aliquis Filius naturalis, tum ut eum adoptivi filii imitentur; tum etiam quia in humana adoptione exigi solet quod adoptans sit ex se aptus ad generandum, quia adoptio naturam imitatur, ut ait textus in § Majorem, Institut. de Adoptionibus. Ex quo principio ibi definitur, adoptantem debere esse majorem natu adoptato, ita ut plena pubertate, id est, 14 annis, vel, ut alia lectio habet, octodecim, illum præcedat. Et ex eodem principio dicitur in § Sed et illud, eodem titulo, *eos, qui ita nati sunt ut generare non possint, scilicet castratos, adoptare non posse*. Hinc ergo in præsentia quidam meditantur, Deum adoptare posse, quia verum et naturalem Filium generare potuit, quem imitantur adoptati, juxta illud ad Romanos 8: *Quos prædestinavit conformes fieri imagini Filii ejus*. At subinde aiunt, si Deus generare ad intra non posset, fore ut nec adoptare filios potuisset. Quod si objicias sequi, nec Verbum, nec Spiritum Sanctum posse adoptare, quia nec generare possunt, respondebunt negando illationem, quia in eis eadem est potentia quæ est in Patre, licet, prout est in eis, non possit in actum generationis prodire; itaque satis esse dicitur, quod in Deo possit esse generatio. Et confirmari hoc potest, quia Angelus ideo non potest filios adoptare, quia nec potest generare.

10. Sed hic modus loquendi, licet sit probabilis, non est tamen necessarius; nam in primis in humana adoptione civiles leges, nec semper, neque simpliciter illam conditionem requirunt; nam in § Sed et illud, Institut. de Adoptionibus, generalis regula statuitur, eos adoptare posse, qui generare non possunt; et, si in aliquo casu oppositum statuitur, exceptio fit ex hac generali regula propter aliquam specialem rationem ad imperfectionem pertinentem, ut est in eo qui est minoris ætatis, aut qui ex utero matris eunuchus est natus, quia in his videtur esse quæ-

dam improprio ex defectu proveniens. At vero, licet in Deo non esset generatio ad intra, esset in eo summa perfectio et proportio, quia respiceret homines non solum ut duratione anterior, sed etiam ut perfectissimus ad operandum, et ut principium eorum, potens eos ad superiorem participationem suorum bonorum acceptare, et speciali affectu naturam suam et beatitudinem communicare illis, in quo ratio divinae adoptionis consistit. Nam, ut talis adoptio imitaretur naturam, satis esset quod talis filiatio imitaretur filiationem naturalem secundum specificam rationem suam, etiam si non imitaretur illam in divina natura. Unde Angelus non ea solum ratione non potest filios adoptare, quia generare non potest, sed etiam quia non potest alicui conferre suam naturam participationem, aut priorum bonorum suorum conferre communicationem; si enim hoc posset, revera etiam dici posset adoptare, imitando non filium suum naturalem, sed simpliciter et absolute naturalem filium secundum specificam rationem consideratum. Denique, non est necesse ut divina adoptio sit in omnibus similis humanae adoptioni. Nam etiam homo non potest adoptare alium, nisi sit illi similis in specifica natura, quia nec inferiora animalia adoptionis capacia sunt, nec inferior natura potest superiorem adoptare. Deus autem ut aliquem adoptet, solum requirit in eo, ut in gradu intellectuali secum conveniat, quia nec inferiorem creaturam adoptare potest, quia non est capax hæreditatis ejus, nec participationis divinae naturæ, eo quod non sit ad imaginem ejus. Nec personam sibi æqualem adoptare potest, quia persona extranea esse non potest. Illa ergo ratio æqualitatis vel similitudinis specificæ non est per se in adoptione necessaria, licet in hominibus inveniat propter specialem eorum conditionem, vel imperfectionem.

11. Tertia differentia in solutione ad tertium est, quia adoptio humana ad hoc ordinatur, ut filius succedat patri in hæreditate; de ratione autem successionis est ut, altero decedente, seu deserente hæreditatem, alius accedat, seu acquirat illam; at vero adoptio divina non ordinatur ad successionem, sed ad communicationem, vel participationem ejusdem hæreditatis; est enim hæc spiritualis hæreditas, inquit Augustinus, tract. 2 in Joan., quæ non fit angusta, si multi eam possederint; illi ipsi certe, illo ipso possidente, fiunt hæreditas ipsius, et ille vicissim fit hære-

ditas ipsorum. Neque vero hoc repugnat cum veritate et proprietate adoptionis, sed indicat potius infinitum esse illud bonum, ad quod homines adoptantur.

## ARTICULUS II.

*Utrum adoptare conveniat toti Trinitati<sup>1</sup>.*

1. *Ad secundum sic proceditur. Videtur quod adoptare non conveniat toti Trinitati. Adoptatio enim dicitur in divinis ad similitudinem rerum humanarum. Sed in rebus humanis soli illi convenit adoptare, qui potest filios generare; quod in divinis convenit soli Patri. Ergo in divinis solus Pater potest adoptare.*

2. *Præterea, homines per adoptionem efficiuntur fratres Christi, secundum illud Rom. 8: Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Fratres autem dicuntur, qui sunt filii unius patris. Unde et Dominus dicit, Joannis vigesimo: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum. Ergo solus Pater Christi habet filios adoptivos.*

3. *Præterea, Galat. quarto dicitur: Misit Deus Filium suum, ut adoptionem filiorum Dei reciperemus; quoniam autem estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, pater. Ergo ejus est adoptare, cujus est Filium et Spiritum Sanctum habere. Sed hoc est solius personæ Patris. Ergo adoptare convenit soli personæ Patris.*

*Sed contra, ejus est adoptare nos in filios, quem nos patrem possumus nominare, unde dicitur Rom. 8: Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, pater. Sed cum Deo dicimus: Pater noster, hoc pertinet ad totam Trinitatem, sicut et cætera nomina, quæ dicuntur de Deo relative ad creaturam, ut in prima parte habitum est<sup>2</sup>. Ergo adoptare convenit toti Trinitati.*

*Respondeo dicendum, quod hæc est differentia inter filium Dei adoptivum et naturalem, quod Filius Dei naturalis est genitus, non factus; filius autem adoptivus est factus, secundum illud Joan. 1: Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Dicitur tamen quandoque filius adoptivus esse genitus, propter spiritualem regenerationem quæ est gratuita, non naturalis; unde dicitur Jacob. 1: Voluntarie genuit nos verbo veritatis. Quamvis autem generare in di-*

<sup>1</sup> 3, d. 10, q. 2, art. 1, q. 2 et 3.

<sup>2</sup> 1 p., q. 39, a. 7.

vinis sit proprium personæ Patris, tamen facere quemcumque effectum in creaturis, est commune toti Trinitati, propter unitatem naturæ; quia ubi est una natura, oportet quod sit una virtus et una operatio. Unde Dominus dicit Joan. 5: *Quæcumque Pater facit, hæc et Filius similiter facit. Et ideo adoptare homines in filios Dei, convenit toti Trinitati.*

Ad primum ergo dicendum, quod omnes personæ humanæ non sunt unius naturæ secundum numerum, ut oporteat unam esse omnium operationem tantum et unum effectum, sicut accidit in divinis. Et ideo quantum ad hoc, non potuit attendi similitudo utrobique.

Ad secundum dicendum, quod nos per adoptionem efficitur fratres Christi, quasi eundem Patrem habentes cum ipso; qui tamen alio modo est Pater Christi, et alio modo est pater noster. Unde signanter Dominus, Joannis 20, seorsum dicit: *Patrem meum*; et seorsum dicit: *Patrem vestrum*; est enim Pater Christi, naturaliter generando, quod est proprium sibi. Est autem pater noster, voluntarie aliquid faciendo, quod est commune sibi et Filio et Spiritui Sancto. Et ideo Christus non est filius totius Trinitatis, sicut nos.

Ad tertium dicendum, quod, sicut dictum est<sup>1</sup>, filiatio adoptiva est quædam similitudo filiationis æternæ; sicut omnia, quæ in tempore facta sunt, similitudines quædam sunt eorum quæ ab æterno fuerunt. Assimilatur autem homo splendori æterni Filii, per gratiæ claritatem, quæ attribuitur Spiritui Sancto. Et ideo adoptio, licet sit communis toti Trinitati, appropriatur tamen Patri ut auctori, Filio ut exemplari, Spiritui Sancto ut imprimenti in nobis hujus similitudinem exemplaris.

## COMMENTARIUS.

Hic articulus non indiget expositione; constat enim hanc adoptionem esse opus Dei ad extra, et ideo commune esse omnibus personis divinis, ut bene D. Thomas docet, quia omnia opera ad extra indivisa sunt. Neque in hoc occurrit nova difficultas. Solutiones vero argumentorum D. Thomæ notandæ valde sunt. In prima enim ponit aliam differentiam inter adoptionem divinam et humanam, quod in humana solus ille potest adoptare, qui potest generare; at vero in divina, adoptant Filius, et Spiritus Sanctus, etiamsi generare non pos-

<sup>1</sup> Art. præc.

sint. Hæc tamen differentia videri potest non habere multum fundamentum in jure civili, nam, secundum illud, etiam adoptare possunt, qui generare non possunt, § Sed et illud, Instituta de Adoptionibus, lege 2, ff. eodem; quia vero hæc impotentia generandi in personis humanis est per accidens, et non ex propria conditione ipsius naturæ, in divinis autem per se et ex propria perfectione ipsius naturæ provenit ut sola prima persona possit generare, ideo D. Thomas etiam in hoc voluit differentiam assignare inter divinas, et humanas personas. Nam in omnibus divinis personis est una individua natura infinita, quæ per unam tantum generationem communicari potest, et ideo in illa tantum esse potest unus Filius naturalis; at vero in hominibus multiplicantur naturæ cum personis, et ideo, per se loquendo, quælibet posset generare. Reliqua in littera clara sunt.

## ARTICULUS III.

*Utrum adoptari sit proprium rationalis creaturæ<sup>1</sup>.*

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod adoptari non sit proprium rationalis creaturæ. Non enim dicitur Deus, pater creaturæ rationalis, nisi per adoptionem. Dicitur autem pater creaturæ etiam irrationalis, secundum illud Job. 38: *Quis est pluvie pater, et stillas roris quis genuit? Ergo adoptari non est proprium rationalis creaturæ.*

2. Præterea, per adoptionem dicuntur aliqui filii Dei. Sed esse filios Dei, in Scriptura proprie videtur attribui Angelis, secundum illud Job. 4: *Quodam autem die cum assisterent filii Dei coram Domino. Ergo non est proprium creaturæ rationalis adoptari.*

3. Præterea, quod est proprium alicui naturæ, convenit omnibus habentibus naturam illam, sicut risibile convenit omnibus hominibus. Sed adoptari non convenit omni rationali naturæ. Ergo adoptari non est proprium rationalis creaturæ.

Sed contra est, quod filii adoptati sunt hæredes Dei, ut patet Rom. 8. Sed talis hæreditas convenit soli rationali creaturæ. Ergo proprium est creaturæ rationalis adoptari.

Respondetur dicendum, quod, sicut dictum

<sup>1</sup> 3, d. 10, q. 2, a. 2, q. 1 et 2; et 4 contra, c. 17, fin., et 21, fin.

est<sup>1</sup>, filiatio adoptionis est quædam similitudo filiationis naturalis. Filius autem Dei naturaliter procedit a Patre, ut verbum intellectuale, unum cum ipso Patre existens. Huic ergo Verbo tripliciter potest aliquid assimilari. Uno quidem modo secundum rationem formæ, non autem secundum intellectualitatem ipsius, sicut forma domus exterius constituta assimilatur verbo mentali artificis, secundum speciem formæ, non autem secundum intelligibilitatem, quia forma domus in materia non est intelligibilis, sicut erat in mente artificis. Et hoc modo Verbo æterno assimilatur quælibet creatura, cum sit facta per Verbum. Secundo modo assimilatur creatura Verbo, non solum quantum ad rationem formæ, sed etiam quantum ad intellectualitatem ipsius; sicut etiam scientia, quæ fit in mente discipuli, assimilatur verbo, quod est in mente magistri. Et hoc modo creatura rationalis etiam secundum suam naturam assimilatur Verbo Dei. Tertio modo assimilatur creatura Verbo Dei æterno, secundum unitatem quam habet ad Patrem, quod quidem fit per gratiam et charitatem; unde Dominus orat, Joan. 17: *Sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus. Et talis assimilatio perficit rationem adoptionis, quia sic assimilatis debetur hæreditas æterna. Unde manifestum est, quod adoptari convenit soli creaturæ rationali, non tamen omni, sed solum habenti charitatem quæ est diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, ut dicitur Roman. 5. Et ideo Rom. 8, Spiritus Sanctus dicitur spiritus adoptionis filiorum.*

Ad primum ergo dicendum, quod Deus dicitur pater creaturæ irrationalis, non proprie per adoptionem, sed per creationem, secundum primam participationem similitudinis.

Ad secundum dicendum, quod Angeli dicuntur filii Dei filiatione adoptionis, non quia ipsis primo conveniat, sed quia ipsi primo adoptionem filiorum receperunt.

Ad tertium dicendum, quod adoptio non est proprium consequens naturam, sed consequens gratiam, cujus natura rationalis est capax. Et ideo non oportet quod omni rationali creaturæ conveniat, sed quod omnis rationalis creatura sit capax adoptionis.

## COMMENTARIUS.

1. Titulus hujus articuli potest de capacitate et de actu intelligi, et duo in se includit, sci-

<sup>1</sup> Art. præc., ad 3.

licet, an omnis rationalis creatura sit capax adoptionis, et an sola illa, et non alia hanc habeat capacitatem. Et hæc omnia comprehendit D. Thomas in titulo, et brevissime expedit in discursu articuli. Sub rationali autem creatura comprehendit etiam intellectualem, ut constat ex argumento 2, cum solutione.

2. Dicit ergo primo, creaturam irrationalem non esse capacem adoptionis, quod est clarum et certum, quia sola rationalis est capax divinæ beatitudinis et fruitionis, ut ex 1 par., q. 12, et ex 1. 2, q. 3, constat. Ex quo infert, in solut. ad primum, quando creatura insensibilis vocatur in Scriptura interdum nomine filii, ut Job. 38: *Quis est pluvie pater?* locutionem esse metaphoricam, eo modo, quo creatio dici potest generatio, et creator, seu auctor alicujus rei, lata significatione dici potest genitor, quo genere locutionis, etiam peccatores possunt interdum vocari filii ratione creationis, ut notavit Irenæus, lib. 4 contra Hær., c. 79, ita exponens locum Isai. 62: *Si biberint filii alieni*, etc.; unde Deuteron. 32: *Hæcine reddis Domino, popule stulte et insipiens? nonne ipse est Pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te?* Considerandum vero est, hanc qualemcumque imperfectam et metaphoricam filiationem, quæ est ratione creationis, non esse adoptivam, sed connaturalem, ratione illius qualiscunque similitudinis ad Deum, quam unaquæque res creata habet ratione creationis. Unde etiam fit, hoc ipsum genus filiationis tanto in rationali creatura esse perfectius, quanto ipsa ex vi suæ creationis similior est Deo in ipso gradu intellectuali, ut optime D. Thomas in articulo explicat.

3. Secundo dicit D. Thom. omnem creaturam rationalem de se capacem esse filiationis adoptivæ, quod intelligit de persona creata rationalis naturæ, et sic est manifesta conclusio, quia supernaturalis beatitudo, et gratia, nulli personæ creatæ connaturalis est, aut esse potest, ut ex 1 par., q. 12, supponitur. Per gratiam vero quælibet creatura hujusmodi potest ad participationem illius beatitudinis elevari, ut ex eodem loco manifestum est. Et eleganter tractat August., in lib. Soliloq., cap. 8.

4. Tertio dicit, non omnem creaturam rationalem, sed eam tantum, quæ per gratiam et charitatem justificata est, actu habere hanc divinam adoptionem. Quod est etiam evidens ex dictis in art. 1; ostendimus enim hanc adoptionem fieri per ipsam justificationem.